


Johann Barnstorff


**Rector Universitatis Rostochiensis Joh. Barnstorff, J. U. D. Ac. Prof: Pub Civibus.
Academiae Resurrectionem Christianam Pie Æstimandam Proponit**

Rostochii: Typis Joh. Weplingii, [1702?]

<https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1838738967>

Druck Freier  Zugang





Landesbibliothek
Mecklenburg-Vorpommern
Günther Uecker


https://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn1838738967/phys_0001



~~ZB~~ ME
05. A. 300

● entsäuert

Med. h.
2956



12
67.

RECTOR
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS
JOH. BARNSTORFF,

J. U. D. AC. PROF. PUB.
CIVIBUS. ACADEMIÆ

RESURRECTI-
ONEM CHRISTIA-
NAM
PIE ÆSTIMANDAM
PROPONIT



ROSTOCHII,
Typis JOH. WEPPLINGII, Univ. Typogr.

1702

Sanctissimus hominum redemptor uti omnia
mortalium peccata intulit sepulcro; ita exem-
plum rursus inde extulit, quomodo ex morte
peccati resuscitari debeamus? O nos felices, si
imitari; o beatos, si exprimere aequali studio
contenderemus! Sed, quolumus perverso ingenio, Chri-
stum aut plane non, aut ita consequimur: ut ingrediamur,
quæ ille nos docuit egredi; & viam, quam præivit, dese-
ramus. Ille secum in terram redire omnia coegit crimina,
omnes iniquitates, si modo homines vellent, æt. rnum
ibi relinquendas; Nos ex cinere peccata vicissim revo-
camus & ex pulvere elicimus; quo citius in perniciem
retrahamur. Ille mortem gloriosa subegit victoria, &
sepulcrum evasit. peccatum inibi Saxo conclusum dimit-
tens: Nos totis viribus in mortem prouimus & ad pristi-
nas lordes revolvimur. Omne malorum genus ac facies
dolorum nostra causa dominus sustinuit; quia nobis sub
mole succumbendum fuisse. Sed non item omnium
nomine unus ille gloriam intravit; quia non sibi, sed nobis
laboravit. Scilicet solus omnia nostra mala recepit; ut
solus bona redderet singulis. Resurrexit à morte non tam
ut gloriam sibi parasse videretur; quam ut nobis ostende-
ret facultatem ex morte animæ partim, ac partim corporis
redeundi, viamque ad cælum latissime patere. Hanc rem
ita divina Scriptura effert Rom. VI. 4. Ergo quidem ipsi
(Christo) conssepulti sumus per baptismum in mortem: Ut
quemadmodum surrexit Christus ex mortuis per glori-
am Patris (cujus causa nempe carnem assumerat & pro-
pter eandem totum salutis negotium transegerat) sic &
nos in novitate vitæ ambulemus. Quodnam queat
manifesti⁹ esse congenitæ vecordiae argumentum; quam
nos tali exemplo adeo non moveri; ut non modo in
salutari via resistamus; Sed ne quidem stationem ser-
vantes

vantes in peccatis prostrati jaceamus? Erubescant,
oportet, hac ipsa die, quia Christum ex morte resurre-
xisse gloriamur, erubescant inquam peccatores & quot
quot plus quam viscera sua, animam nimirum impiis
ac dissolutis moribus enecant: Dummodo cum ipsa
Spirituali vita non pudorem omnem proscrisperint,
omnem exuerint verecundiam. Vos quæso, qui vo-
luptatum illecebris capti estis ac constrieti; qui in diem
sine pietate ac pœnitentia vivitis; qui tempus DEO
ereptum inter vanitatis studia consumitis; qui mun-
dum, quasi cœlesti gaudio fruamini, usurpatis, qui
deniq; fide remissi operibusq; steriles estis! Apud ani-
mum vestrum recogitate, quam indignum sit; Velle
fructum è resurrectione dominica capere, & nolle ean-
dem in usus convertere? Quisquis cum Christo non
resurgit, ei nec Christus resurrexit, nec quidquam ei
transitus domini in gloriam proderit. Non leviter pe-
riclitari homines prophanos sententia Apostolica,
quam retuli, comprobatur. Ad vitam illos revocat,
ergo mortuorum instar habent; noviter hanc vitam
inchoandam proponit, ergo erigi primum ac restitui
debent; in illa ambulandum esse dicit, ergo continuos
progressus facere & subinde in pietatis exercitio pro-
movere debent. Hanc viam Christus è sepulcro
usque in ipsum cœlum præivit, Post mortem vitam
recuperavit; Vitâ acceptâ è pulvere reversus est, atq;
dehinc directo item ac strenuo cursu sempiternam oc-
cupavit gloriam. Nos vero vah! quanto inde distamus
spatio! Nos in mortis fauce hæremus & in sepulcro
vitam quærimus, aut potius graviori semper jacturæ
sensu eam amittimus. Mortuum enim esse qui mor-
taliter peccat, etiamsi de cœtero vivus sit; & tantum

3

moriendo

in moriendo proficere, quantum in peccato vivere per-
severat; æq̄ facile negari, actuto sustineri nequit. Pec-
cator enim, si spiritualia; & cadavera, si temporalia
respicias; non similia, sed omnino æqualia invicem
sunt ac paria. Non sollicitè imago mortis hic quæri,
non operosè comparatiō institui debet; quia pecca-
tum ipsissima animæ mors est. Fides certe quæ idem
est pietati, quod anima corpori, ejicitur & ab anima
peccatrice separatur. Jacet itaq̄ mens hominis exa-
nims omnesq̄ boni radices quasi rigent. Eadem
verò ratione persistere potest in vitæ naturalis peculio
peccator, quæ cadaver scatet vermibus & nova undiq̄
eorundem semina inde proreptant. Namq̄ ut in cada-
vere quidem vivi quidquam nutritur ac residet, quod
tamen non est cadaveris; sic potest peccatum, potest
natura in homine vivens esse & operari, licet ille vitæ
spirituali planissime careat. Nec enim acriori morfu
corpus demortuum vermes exedunt, quàm peccata
animam corrumpunt. Quin imò, ne ulla ratione à verâ
morte peccatum discrepet, accedit insuper primitivus
ille homicida Satanas & securitate implicat volunta-
tem, intellectum involvit præjudiciis, appetitum au-
tem terrenis sive curis sive deliciis obruit; ac sic spi-
ritualiter mortuum quasi sepulcro condit. Quod si
autem ille, qui vel primis labris vitæ commoda
degustavit, mortem omnium malorum deterrimum
esse pronunciat; is certe, qui futuri sæculi virtutem
aliquando expertus fuit, nihil putare deberet atroci-
us, tam peccare; nihil tristius quam peccasse Pau-
lo tamen hic neutiquam adversor, qui eandem vi-
tæ novitatem e Christi resurrectione discere im-
perat, quam ego svadeo & salus animarum ve-
strarum, o cives, efflagitat: quamquam aposto-
lus

ius de alio mortis genere loquatur; & cum iis agere videatur, qui peccato mortui fuerant, h. e. eo gradu ab impietate aberant, quo nostri mores à pietate recedunt. O utinam nemini nostrum facultas aut ipsa vita deesset in Spiritualibus; nec plerique ex profundissima morte prius expurgisci deberent, quam commonesceri possint. Equidem nihil gratius mihi scirem, quam istius voti reum esse; nihil acceptius, quam ejusdem damnari. Quare non alia mente hanc scriptionem vestro conspectui exhibeo; quam ut percillantur, qui in umbris delitescunt; calcari accipiant, qui sponte surrexerunt, & quotquot vestigia resurgentis domini legunt, porrò incitentur. Fructum exinde ad me rediturum esse ne quidem dubitare praesumam: quia vobis bene vivendi studium cum literarum disciplina inditum est, & beate vivendi desiderium cum ipsa humanitate ingenitum. Cadavera humana confestim putrescere incipiunt & corrumpi, adeo ut Lazari corpus per solum quadriduum, quo in sepulchro fuerat, jamdum foetuisse legamus Joh. XI. Sic anima quoque peccatis peccata cumulans & semper magis conquinata sordet non piorum conspectu, arcet suo foetore angelos, & DEO ipsi abominatio est. Fateor quidem hæc omnia nimis esse generalia & ejusmodi monita; queis tota die pro concione etiam aures vellicantur auditorio. Sed tanto magis dolendum est, quo magis universale deprehenditur malum, quod omnium fere mentes si non occupavit, tamen quotidie adoritur. Credo vos omnes avidè ansam arrepturos, quam hodierna dies suppetit; quo vitam viresque in sanctitatis Spiritu recipiatis. Illud namque accidere interdum potest, ut suam homo perniciem promoveat incautus aut imprudenter accersat. At quis præsentem interitum adeo perditè amabit, ut nolit

) ()

inde

inde emergere? Id vero profligatissimæ spei indicium
& contra ipsam naturam foret. His autem, qui conti-
nua serie peccant, non diu expectanda salutis jactura est,
quia proximo instat & jamjam capiti illabetur. Quid est
autem amittere salutem, quam omni bono prorsus exui?
Satan certe uti omnis vitii dux & autor est, ita vindictæ
cupidorum agmen ille ducit, & affectus vehementia, va-
ferrimo astu, ac intima mentis malitia omnes alios an-
tecedit. Censet autem ille grandem sibi factam esse in-
juriam, quando homines à Christo redempti sunt, aut ho-
mo illud pretium in usus suos convertit. Quotquot ergo
ex instituto peccant & sic Christi meritum proterve re-
jiciunt; hi sane quasi instrumentum vindictæ diabolo
præbent; quo ille divinæ gloriæ hostis novam gaudendi
materiam accipiat; Si nihil suo merito Christus circa
hunc hominem profecerit. Mirarer, si hæc omnia recte
cogitando non horrere peccatum & detestari ejus effe-
ctum incipiatis. Namq; vel cineres concuti & sepulcra
moveri possunt, cæli fragore ac tonitru coorto. Cur
nequeant nostræ mentes hic affici memoria rei, quæ o-
mni tempestate terribilior est. Accedet divinæ virtutis
præsidium, & attonitas mentes animabit gratiæ spiritu;
ut erigi quisq; ut stare, ut procedere vere credentium
more queamus. Quamquam vero nunquam hic mora
in nobis esse, nunquam illud officium cessare debeat: hoc
tamen tempus, in quo jam versamur, operi quam maxi-
me aptum est. Perinde quidem omne tempus pietati est,
semperq; juvat & expedit esse probū. Sed cum durum sit
alio tempore impietatem colere, tum plane nefandum est
nolle vitæ sanctitatē recuperare; eo tempore quo undiq;
sacra compita triumphum domini ac salutarem resurre-
ctionem enunciant. Paschatos certe solemnitas omni
ecclesiæ

ecclesiæ tempore incitamentum fuit pietatis, & ad veram
fidem aut tepentes aut frigentes inflamavit. Exitus nomen
in Ecclesia. Judæorum Pascha habuit; quia recordari de-
bebat Israel qui secundum carnem erat, transitus suorum
majorum ex captivitate Ægyptiaca; Sed ille, qui per Spi-
ritum Israel est debebat, meminisse, quod vincula peccati
effringenda sint ac durissimi carceres Satanæ deserendi.
Nova autem instrumenti festum paschal. Christi resurre-
ctionem inculcando, nobis evigilandi ex peccati morte
occasione præbet. Quod ergo primos fecisse Christi-
anos legimus, ut paschatis festo obviam sibi facti, alter
quereret: surrexit Dominus? ac alius eum surrexisse re-
sponderet, id factum ipso nos eloquamur & fidem domi-
nicæ resurrectionis, quæ in nobis est, opere ipso edoceam-
us. Sicut enim a principe aut rege urbem ingressuris
vel anniversaria solemnia celebrantibus fieri solet, ut ei-
vitate mulctatos, aut proscriptos benigne recipiant: ita
memoria resurrectionis, qua hodie Christum Ecclesia
prosequitur, in argumentum nobis cedet, ut promptissi-
me gratiam ejus denuo obtineamus. Transeat ergo &
perpetuum habeat repudium pestis animæ ac funestum
illud contagium, quod nos hactenus sub voluptatis specie
corripuit, sed revera corpus mortis fuit, animamque mi-
sere afflixit. Agite cives, ea lege memoriam Jesu resur-
gentis nobis restaurabimus, ut ejus experimenta undique
fiant conspicua. Valeat nunc & valeat æternum triste
illud peccati barathrum; & procul imposterum absit per-
dita iniquitatis servitus: Ex illis, qui ex morte iterum
revocati atque divina virtute in vitam reducti fuere natu-
ralem, si requiras; ex mortis sensu vitæ dulcedinem
æstimare edocti, mortem sua culpa accersere reformi-
dabunt. Eundem vobis apprecor animum; ut semel elu-
ctati ex peccati malo, nunquam pie vivere desinatis.

Affimi-

Assimilentur ergo hodie vestrae mentes sanctorum corporibus, quæ cum Christo resurgente revixerunt. Recipiat mens pristinum divini spiritus calorem & sibi ipsi salva restituatur ac incolumis. Anima enim hominis divinæ imagini accommodanda, si in contraria currit, apud se non est. In sanctam urbem nosmet proripiemus, ubi sacra nostræ salutis arcana panduntur & quanti nostræ salutis interfit, Christum sepulcro exivisse, enarratur. Quadrabit ea ratione in nos omnes ea pax & animi profunda tranquillitas, quam redux ad discipulos servator ipsis sermone apprecatus est & re ipsa attulit. Vos quidem, o mei! vestigium resurrectionis vestrae ex vanitatis ac peccati amore exprometis facillime in conspectu nostro; si pacate has transigetis ferias, omnia tumultuum aut vagæ libidinis instrumenta devitabitis, & ab omni immodestia prorsus abstinerebitis. Multo autem firmiter erit apud conscientiam vestram testimonium de rei successu, si animo ad divinas res pie præparato sacras conciones frequentabitis, privata pietate præsentem deum coletis. Surgentem ac ad patrem reversum servatorem sequimini, ac pleni eritis spiritu divini amoris & humanæ mansuetudinis. Quæ insuper vobis evenient inhærentis mali tentamina, quæ diaboli technæ vobis quandoque imponent: ea non secus, quam vel corporis habendæ sunt infirmitates, vel obices currentium, vel viarum lacunæ, reputabitis. Vix possunt ea devitari, possunt tamen superari. Et sic tandem ad Christum qui in cælos ascendit, nos quoque provehemur. Evigilate è mortuis, quotquot obdormivistis, & Christus vos illustrabit!

P. P. Sub Sigillo Rectoratus. Ao. 1702,
Ipso Die Paschatos,



Barcode
nicht
vergeben!

21.7.20


↓


5

33

LBMV Schwerin
004.132.769







tamentum fuit pietatis, & ad veram
rigentes inflamavit. Exitus nomen
Pascha habuit; quia recordari de-
lum carnem erat, transitus suorum
te Aegyptiaca; Sed ille, qui per Spi-
at, meminisse, quod vincula peccati
rissimi carceres Satanæ deserendi.
ntifestum paschal. Christi resurre-
nobis evigilandi ex peccati morte
Quod ergo primos fecisse Christi-
natis festo obviam sibi facti, alter
minus? ac alius eum surrexisse re-
o nos eloquamur & fidem domi-
væ in nobis est, opere ipso edocēa-
rincipe aut regem urbem ingressuris
nia celebrantibus fieri solet, ut ei-
proscriptos benigne recipiant: ita
nis, qua hodie Christum Ec-lesia
entum nobis cedit, ut promissi-
o obtineamus. Transeat ergo &
udium pestis animæ ac funestum
nos hactenus sub voluptatis specie
opus mortis fuit, animamq; mi-
ves, ea lege memoriam Jesu resur-
vimus, ut ejus experimenta undiq;
eat nunc & valeat æternum triste
n; & procul in posterum absit per-
s: Ex illis, qui ex morte iterum
rtute in vitam reducti fuere natu-
ex mortis sensu vitæ dulcedinem
tem sua culpa accersere reformi-
is apprecor animum; ut semel elu-
nunquam pie vivere desinatis.
Affimi-

Image Engineering Scan Reference Chart T263 Serial No.